

**An species et genera morborum indicationibus therapeutis inserviunt? :  
theses, quas, Deo favente, in saluberrima Facultate Medica Parisiensi,  
praesentibus competitionis judicibus, publicis competitorum  
disputationibus subjectas, tueri conabitur, die [...] mensis [...] anno 1826 /  
A. Dalmas.**

## **Contributors**

Dalmas, Jean Auguste Adolphe.  
Royal College of Surgeons of England

## **Publication/Creation**

Parisiis : Excudebat Migneret, 1826.

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/x2bj4sr9>

## **Provider**

Royal College of Surgeons

## **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

13.

# COMPETITIO

AD

## AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIAE  
UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXVI.

---

*An species et genera morborum indicationibus therapeuticis inserviunt?*

## THESES,

QUAS, DEO FAVENTE, IN SALUBERRIMA FACULTATE MEDICA PARISIENSI, PRÆSENTIBUS  
COMPETITIONIS JUDICIBUS, PUBLICIS COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS SUBJECTAS,  
TUERI CONABITUR;

Die      Mensis      anno 1826.

A. DALMAS,  
MEDICINÆ DOCTOR.

---

PARISHIS,  
EXCUDEBAT MIGNERET.  
M. DCCC. XXVI.

*Præses,*

D. ESQUIROL.

*Judices,*

D. D.

CAYOL.

RECAMIER.

FIZEAU.

LANDRÉ-BEAUVAIS.

ADELON.

KERGARADEC.

JADIOUX.

*Vices-Gerentes,*

{ FOUQUIER.

CHOMEL.

*Competitores,*

{ PIORRY.

BENECH.

MARTIN SOLON.

WEST.

DRONSART.

BOUILLAUD.

GIBERT.

GUIBERT.

BAYLE.

LEGER.

TROUSSEAU.

DANCE.

DALMAS.

VALAT.

CLARISSIMO VIRO  
D. ANTONIO PORTAL,  
REGIS ARCHIATRO,  
INSTITUTI SOCIO, COLLEGIO GALLICO PROFESSORI, etc., etc.

*Pro immensis erga scientiam meritis,*

D. V. O.

AUTOR.

Primò expedit ut morbi omnes ad definitas  
ac certas species revocentur, eādem prorsū  
diligentiā ac ἀκρίσιᾳ quā id factum videmus  
à Botanicis scriptoribus in suis phytologiis.

TH. SYDENHAM. — *Præfatio.*

# COMPETITIO

AD

## AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS  
MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXVI.

---

AN SPECIES ET GENERA MORBORUM INDICATIONIBUS THERAPEUTICIS INSERVIUNT?

---

### *De Argumento in genere.*

THERAPEIA, id est pathologiæ pars quæ ad morborum curationem spectat; naturâ dividitur in duas partes, una scilicet indicationes, altera modos quibus indicationes assequamur, amplectitur, quæ indicantia et indicata sic appellant auctores.

Quodcumque nos impellit, ut unum vel alterum producamus effectum, unum vel alterum adhibeamus remedium, sic aut aliter medeamur, hoc vulgo dicitur indicatio.

Pro singulis casibus individuis, indicationes è sedulâ casuum illorum aestimatione oriuntur, nem pè est quoddam naturæ veluti indicium quod intelligere debeat medicus, et cùm, statutâ semel indicatione non amplius dijudicandum, sed jam agendum erit, jamque remedium adhibendum erit, de quo ægrotantis pendeat vel lethum vel salus, quanti intersit indicationum aestimatio facile intelligitur, quæ prima virtus medici verè exercitati semper habita est.

Quibus admissis, nobis inquirendum obtigit, an inter opes maximè necessarias, medicus annumerare debeat morborum divisionem in genera, species, etc. An hæc divisio valeat, vel non, indicationibus therapeuticis inservire ?

Ut aptè respondeamus ad quæsita, necesse nobis est ad ima descendere; quippè tota ferè in his includitur medicina, cùm de theoriæ ad praxim applicatione agatur : facta potissimum et ratiocinium nos ducent. Quid verò sensère homines dispar inventur. Ævi lumina nostri Pinel atque Corvisart in his discrepaverunt, quam dissensionem perspicuè jam exposuit clarus professor Dupuytren, in sessione Facultatis medecinæ publicâ die 22 novembris 1821.

« Il nous a été donné de voir, à cette époque et dans cette école, deux Professeurs presque également célèbres s'efforcer à l'envi, quoique par des moyens différens et quelquefois opposés, de nous initier aux mystères les plus relevés de la médecine, l'un par ses méthodes philosophiques et ses efforts pour ramener la marche de la médecine à celle des sciences naturelles, par une distribution des maladies plus conforme à leur nature, à leur siége et aux tissus qu'elles affectent, et par des descriptions plus exactes et plus précises; l'autre par son éloignement même pour les classifications, dont il faisait souvent apercevoir les imperfections. »

Quæ cum ita sint, impares tantò oneri vires meas intuens, cum tamen necesse habeam, tantos inter viros opinione discordes, sententiam eligere, litem attentissimè considerabo, argumenta utrinque data ponderabo, et sic, jam nunc incepturnus, totius theseos ordinem exponam :

Primum, de ordinationibus generatim ;

Secundum, de botanicorum methodis ;

Tertium, de nosologiis ;

Quartum, de nosologiarum utilitate, circa indicationes.

## CAP. I.

Diù classium distinctio non extitit.

Paucis notis, scientiae breves, sejunctae, facillimè animo comprehendebantur; sensim cupido sciendi incrementum cepit, prout res elaboratæ, politæ creverunt; mens humana necessitate coacta, in investigationibus niti voluit arte quâdam, memoriae levamine; indè methodi, classes, indè divisiones. Verè filum ariadneum:

Tunc quæ sensus maximè moverunt differentiæ, quò plus prominebant, eò citius notatae sunt, inde tria naturæ regna, variæ species animalium, et prima scientiarum rudimenta, quæ postea auctæ, novas divisiones poscerunt et forsàn inconsultò, iterùm atque iterùm partitæ sunt, indè subdivisiones innumeræ.

## CAP. II.

*De methodis Botanicorum.*

Nostrâ præcipuè refert botanices progressus intueri, cuius ad exemplar, maximè nosologiae divisiones ordinatæ videntur, innumeris è vegetabilibus, quædam primum notata sunt, quæ cùm multa inter se non similia tantum, sed etiam paria haberent, in species reducta sunt.

Indè, species prout inter se vel discrepabant vel conveniebant, vel sejunctæ vel in unum collectæ, in genera compositæ sunt; eodem artificio de generibus ad familias, et de his ad ordines, ssesque, peruentum est.

Observatis cunctis similitudinibus, hæc est methodus naturalis; fuere verò diù methodi artificiales, ex unicæ partis consideratione deductæ, ut sæpè sæpiùs res alteri assimilata fuerit, quæ longè ab eâ discrepabat, dùm ad unum tantummodo attenderetur:

Quibus dictis , satis apparet quanti methodus naturalis potior sit et inventu difficilior ; in artificialibus creatorē ipsi , verē invenimus ; in naturali verò , rerum observatores attentissimi , quid simile , quid non , dijudicamus ; magnæ molis inde labor :

Ideò quod ut incepsum exequerentur , postquam in decimo et sexto seculo prima novæ methodi quasi rudimenta excogitavit Mathias Lobel , vix suffecerunt clarissimorum virorum usque ad nostram ætatem continuati labores.

Celeberrimus ipse Linnæus non dubitavit quin proprium systema et si ingeniosissimum relinquere , suisque manibus extuendæ novæ methodo juvaret ; ut patet ex opere cui titulus *Fragmenta methodi naturalis* , 1738 , nec non et ex ipsius lectionibus quas jam provectus annis discipulis tradebat , hancce methodum utpotè optimam commendans.

Sed unum è nostratibus Bernardum nempè de Jussieu amplior manebat gloria qui vix inchoatum à prioribus perfecit opus quo non aliud majus monumentum in decimo et octavo seculo conditum est ;

Vir ille celeberrimus anno 1759 , in lucem edidit librum de Generibus , plantarum posteaque suam methodum quem deinceps secuti sunt , et labentibus annis , etiam locupletaverunt complures ex omnibus gentibus rei gerbariae investigatores.

### CAP. III.

#### *De Nosologiis.*

Quæ ad varias zoologiæ partes pertinent , haud imprudens prætermitto , ut ad morbos hominis ociosus deveniam.

Principio , ut suprà dictum est , scientia egestate laboravit , opibus sensim ditata , ac tandem observationum labentibus seculis collectarum cumulo quasi obruta est , indè divisionum necessitas et longo post temporis intervallo , prima tentamina more botanicorum instituta ;

Sed antequam ultra progrediar, expendendum venit an ea methodi scientiae unius, in aliam translatio, ratione nitatur, et indè, quonam fieri modo debeat.

Botanici ordinant corpora individua, materialia, quorum existentia propria, sensibus patet, et semper observatione comprehendendi potest.

Siccinè res abit in Pathologiâ ?

Morbi ni fallor definiri possunt statûs organici normalis, mutationes, harmonicam functionum rationem plus minusve impedientes, quæ mutationes apud entia organisata eveniunt, ipsæ initium statum et finem habent, veluti ortum vitam et mortem diceres; corpus præbent reale, id est organum cuius structura laeditur, certis procedunt stipatae phænomenis quæ symptomata nuncupantur, accedit denique quòd ab externis productæ causis, à circumfusis adhuc agentibus, modificatæ immutantur.

Atqui causæ speciales, corpus reale, immutari *proprietas, essentia* sunt elementa quæ morbos tanquam entia demonstrant, ergo morbi tametsi segregatim ipsi non existant, nihilominùs sunt, et cùm sint, inter se distribui possunt.

Nunc quomodo efformendæ hæ distributiones exponendum.

Noscantur primùm quām perfectissimè individui morbi, quod ex observatione morborum in nosocomiis diutissimè repetitâ ducentibus artis medicæ principum Sydenham et Baglivi consiliis, obtinere est; deinde, inter se comparanda habeas individua, et ordinanda secundùm causas symptomata, læsiones organorum et etiam remediorum effectus: sed de ratiocinio suppeditatis, ad effectum transeamus.

Ante nosologias propriè dictas, medici qui de morbis disseruerunt, qualecumque necessariò ordinem tentaverunt, alii inter quos, Areteus, Cælius Aurelianus, morbos diduxerunt in acutos et in chronicos, hæc est methodus dicta temporaria; alii Bonnet atque Manget in Polyalthæa, James in dictionnario, viam insecuri sunt alphabeticam, toties abhinc repetitam; alii pro causis

disposuere morbos, alii, ut Sauvagesius refert, in synopticas tabulas contraxerunt quâ in methodo, morbi omnes primùm adversè partiti et subinde bipartiti iterum atque iterum dividuntur.

Quas non amplius methodos pensitabimus, auctores nempè non eas magni faciebant; silebimus etiam de distributione Felicis Plateri, in praxi medicâ expositâ, velut in tabulâ quæ catalogum et seriem singularum observationum continet, ac faciem methodi totius operis auctori singularis ostendit, hæc tabula prima nosologicæ divisionis offert lineamenta.

Paulo post Jonsthonus in opere cui titulus *Idea medicinæ universalis* quod edidit anno 1644, divisionem alteram exprompsit cui Sennertus propriam autoritatem addidit: morbi dividuntur in similares organicos et communes.

Similares, partes adficiunt que structuræ corporis hærent: organici sunt morbi qui ad formam magnitudinem numerum et situm organorum spectant; communes tandem vocat ulcera vel solutiones continuitatis, imò classis unaquæque subdividitur, sed semper anatomicè:

Quæ omnia à Sauvagesii nosologiâ mox obsoleta visa sunt, vastum quidem opus cuius haud incerta fuit in scientiæ progressum utilitas, quoque nullum præstantius apparuit ante Cullenii labores. Multi tamen ejusdem formæ libri lucem adspexerunt, quorum maximè illustres ad hanc usque diem juris publici factos hic recensere liceat.

AUTORES.	ANNI.	CLASSES.	ORDINES.	GENERA.
Sauvagesius.	1732.	10.	44.	315.
Linnæus.	1763.	11.	57.	325.
Vogel.	1764.	11.	"	560.
Cullen.	1772.	4.	19.	150.
Macbride.	1772.	4.	25.	188.
Sagar.	1776.	13.	54.	351.
Vitet.	1778.	8.	45.	394.
Darwin.	1776.	4.	11.	41.
Pinel.	1799.	5.	22.	141.
Baumes.	1801.	5.	"	97.
Tourdes.	1803.	4.	19.	51.
Tourtel.	1805.	6.	"	182.
Richerand.	1810.	3.	14.	23.

Eæ sunt inter nosologias præcipuæ , sed ad Sauvagesium, Cullenium , nostrumque Pinel redeamus.

Decem Sauvagesii classes ad quatuor à Cullenio reductæ sunt : vitia febres phlegmasiæ, spasmi, anhelationes, debilitationes, do-lores, amentiæ . fluxus et cachexiæ, pyrexii, neurosibus, cachexiis et morbis circumscriptis , locum cessere : cui distributioni suam satis cognitam substituit nosologista philosophus , Pinel.

È tribus illis nosologiis posterior quæque priorem antecelluit , quia modis investigationum undique proficientibus atque occasio-nibus sæpiissimè repetitis , morbi clariùs innotuêre et faciliùs inter se collati sunt.

In eo positum videtur præcipuum Sauvagesii erga scientiam promeritum , quod veram morborum distributionem è sympto-matùm cognitione præsertim eruendam esse contenderit ; quis enim queri posset, quod regnantibus eo tempore Galenianæ doc-trinæ reliquiis , aut Paracelsi, Tachenii, Sylviique deliramentis aut phantasiis , non ætiologicam methodum sequendam præscriperit.

Quod ad anatomiam pathologicam attinet ex ejus nosologiâ omnino abest, vix ac ne vix quidèm de eâ tunc agebatur et eum-dem virum bis inventorem nunquàm extitisse reperias.

Illustris hujus autoris ordinatio super hoc fundamentum rectè nititur, morbos nunquàm in classes dividi posse , nisi priùs in-notescant, hanc vero morborum cognitionem ex solâ sympto-matum observatione extrahendam censebat, unde fit ut tam immensum opus notabiles tantùm descriptiones symptomatum contineat et cæteris omnibus careat.

Paucos verò post annos fructus ejus prognati sunt undique.

Observationes antea cumulatim absque ratione coactæ , tum ad designatas divisiones refertæ , has falsas aut veras pro re natâ exposuerunt, etenim opus nunquàm, vir etsi præcellens, divi-num rerum ordinem aggressus, primo mentis impetu perfectum procreare valuit. Itaque novis laboribus perpensis, magni momenti

perfectibus emicuit nosologicum Cullenii tentamen, quod Sauvagesii quasi nova et perfecta editio dici potest.

Interea dum scriptores quamplurimi, Sauvagesius ut juss erat, nosologiam symptomatibus observatis illustrabant, alii brevi venisse tempus senserant ubi toties explorata methodus jam non scientiae sufficeret infæcundaque tandem remaneret; namque fastidiosum erat, tot egregiis ingenio viris, iisdem iterum atque iterum vestigiis tractari, iisdem sententiis versari, atque per sterilem observationum recentium abundantiam ad eamdem semper redire obscuritatem, dum inania symptomatum signa, ignotis omnino causis, eruerent.

Ecce altera tandem quærentibus patuit via, primusque ante alios perenni nomine dignus Morgagnius, quæcumque per profundos viventis corporis recessus latebant arcana, ex observatis mortuorum cadaveribus repetenda instituit; quot quantæque opes ex hoc veluti fonte derivaverint faventibus Lieutaud, Vicq-d'Azyr, Portal, etc., quām rapidè illa scientia progressa fuerit, hic accuratè referre nullo modo necesse est.

Florebant simul anatomia et methodus Culleniana cum adfuit vir medicus, acutissimo ornatus ingenio, judicio præcellens veterumque librorum doctrinis imbutus, magnus ille Pinel, observandisque morbis, non minùs aptus quām ordinandis comparandisque invicem observationibus; philosophicam nosographiam edidit, novum opus licet ad antiquam Cullenii Sauvagesiique methodorum effigiem efformatum, hic mirandum præsertim quidquid de phlegmasiis generatim, quidquid de serosarum telarum phlegmasiā conscriptum est; nec Hippocrates in aphorismis, nec Sydenham de epidemiis, Stalhius de hemorrhagiis, præstantiores doctrinas explanaverant.

Intercà servebat adhuc undique anatomiae pathologicæ studium, theoreticasque de phlegmasiis doctrinas quotidiana cadaverum inspectio comprobabat; et idem observatus est in medicinâ eventus quem anteà, in scientiis observaverant philosophi, id est dupli ci viâ ad eamdem finem humanum pervenisse ingenium: sic alio in tempore Cartesius geometriæ formulas algebraicas conjunxit primus,

dumque alteram secuti viam mathematici viri ad extremos scientiæ limites , magno cum sudore tenderent , novum ille iter aperuit ; armaque nova ad expugnandam veritatem dedit , ita ut insolutæ toties et Archimedi et doctissimis geometriæ viris difficultates algebraicam per methodum brevi devictæ , et tanquam suâ sponte solutæ esse viderentur.

Sic paulò post res eadem evenit cum in Scotiâ Neper , logarithmos , in Angliâ Newtonius et in Germaniâ Leibnitzius easdem , infinitorum consideratione , mathematicas leges invenere ; inde affulsit subito scientiæ lux immensa , ignotaque hactenùs arcana pātuerunt.

Haud aliter , nec cum minori gloriâ , apud medicos edita est in lucem philosophica nosographia , cui accesserunt undique ab anatomiâ pathologicâ lumen et auxilium ; surgebat eādem in ætate et tanquam sub umbrâ faventis professoris Pinel , maximus inter omnes Bichat noster , qui dispersas in ejus libro circâ varia corporis systemata sententias , vir sagax , fœcundâ mente arripuit , atque ita positis histologiæ fundamentis , primus disciplinam medicam tempori suo meliùs accommodatam instituit , magistrique sui ut ipse vocabat , doctrinas suis doctrinis auxit , et tanquam propriæ suæ gloriæ splendoribus exornavit :

Atque ità felici rerum concursu , factum est ut quidquid in symptomaticis Sauvagesii Culleniique nosologiis adfuerat boni , quidquid ex anatomiæ pathologicæ notionibus , quidquid ex anatomiâ generali , ad philosophicam demùm nosographiam tanquam ad ultimam scientiæ nosologicæ metam reverteretur :

Nec mora ardentes omnes ingenio juvenes , quâ datâ portâ irruerunt ; tum auditæ sunt apud nos doctissimæ voces medicorum , tunc claruère simul qui Lutetianæ scholæ decorem maximum afferrent celeberrimi professores , tantâque cum celeritate dehinc proges- sa est medica scientia , ut sæpe sæpiùs edita in lucem nosographia philosophica jam non , irruptentibus doctrinis novis , sufficeret.

Tum denique mutata est apud medicos studendi methodus ;

necdum ex observatis tantummodo symptomatibus, sed ex etiam anatomicis laesionibus exploratis, morborum ordinem statuere Haud immerito faventibus novae illi methodo, Bayle, Laennec, Dupuytren, Cruveilhier, Breschet, Lallemand, etc.

Ex hoc, datum est aliud quoque nosologiæ fundamentum ex anatomiâ pathologicâ depromptum; novumque judicium de uno quoque morbo institutum, ita ut aliis conservandis, aliis vero rejiciendis opus foret, adassetque tandem morborum certissima cognitio totiès a Thomasio Sydenham exoptata, et (omnibus rerum similitudinibus perpensis) naturalis distributio.

Nonnulli febrium et exanthematum meliorem ordinationem proposuerunt, hi nervosos morbos, organicas alii dictas laesiones accuratiùs descripserunt, unus etiam ex magni Pinel discipulis et amicis clarissimus, sedulò magistri vestigia secutus vesanas minuere docuit.

Quis vero omnes has emendatas unius doctrinæ partes in unum methodicè nobis exponet?

Nemo dum viveret nosographiæ philosophicæ inventor, hanc difficilem gloriam tentare ausus est, novumque hodie silentium generali luctu imponitur, sed spes non omnis abest, vigiliis et elucubrationibus arduis incumbunt doctissimi viri; nosologicas præsertim difficultates tractat vir ille, qui primus encephalitis emollitiones, mirâ sagacitate, descriptis et agnovit. Huic verba non ignota renovare liceat.

- La difficulté que nous présentent les nosologies ne doit point
- nous faire conclure qu'elles sont toujours mauvaises et impraticables, mais il faut convenir seulement que c'est un travail difficile; qu'une classification capable d'entrainer tous les suffrages serait d'un prix inestimable; que les médecins qui s'en occupent ne peuvent être trop encouragés par ceux qui cultivent la science, et qu'un laurier immortel devrait ombrager la tête de celui qui surmonterait tant d'obstacles. » BAYLE.

## CAPUT IV.

Enumeraturi nunc omnium indicationum fontes , quid tot nosographicici labores praxi medicæ proferre valeant , facile videbimus.

1.º A sedulâ ægrotantium exploratione multæ indicationes sumuntur , et ad hunc fontem quidquid ætati , sexui , professioni , viribus , morbis præteritis , attineat referendum .

2.º Indicationes quasdam , ex iis quæ circumstant rectè aestimatis eruere licet , ideoque considerandum est an adsint epidemie morbi ; an medica constitutio quosdam characteres manifestos præbeat an quibusdam remediis , ignota quorum actio , profigetur .

3.º Multæ etiam à causarum investigatione hauriuntur .

4.º Aliæ vero ex morbi ipsius consideratione proveniunt , sive , istius sedem , sive læsionem anatomicam , sive symptomatum series , periodos , gradus typumve inspicias , sive inquiras quonam modo agat morbus ipse in constitutionem agrotantis sympathicaque phænomena .

5.º Denique suppeditatur etiàm quoddam à juvantibus et lædentibus remediis indicium .

Liquet , et fateor , morborum ordinationem secundùm classes et genera alienam esse ab indicationibus quæ ad duas primas series referuntur quæque à causis valde occultis derivantes , absque dubio , in præsenti rerum statu , explicatione omni carent :

Sed aliter habetur de indicationibus à causarum naturâ deductis , quibus nunc , genera et species inservire contendo , quod manifestè patebit si probo ignotas causas hac ordinatione clariiores eluescere .

Si igitur morbus quidam in nosologicis tabulis alium juxta morbum positus sit , pro verâ symptomatum et læsionum anatomicarum aestimatione , sint etiam causæ prioris cognitæ , nunc ideo alterum ab iisdem causis pendere haud falsò dicere potes : quod

argumentum in logicâ scientiâ saepius adhiberi solet, id est, eosdem semper effectus ab iisdem causis produci :

Venio nunc ad indicationes quas à symptomatum sede et naturâ suppeditant.

Verumenimverò si ea morborum elementa indicationibus inservire possunt ut admittunt autores, quid aliud nobis demonstrandum superest?

Non aliter ac elementa ipsa, quorum est fidelis et sincera exppositio, nosologia, sive generum et specierum collatio, inservire valet.

Comparandæ sunt enim nosologiæ geographorum delineamentis in quibus videre est urbes pro magnitudine et intervallo plus minusve conspicuas oculis et inter se distantes :

Quod si nosologicorum laborum utilitatem digito tangere velis, magnam inflammationis classem aggrediamur, quæso.

Hic primùm classis characteres exponuntur, qui tibi eamdem indicationem omnibus morbis inflammatoriis communem præbent, deinde si ad ordines inferiores devenias, pro cujusque sedis differentiis anatomicis et physiologicis, symptomatum eorumdem quasi novam effigiem videbis et leves adhibendas indicationi primariæ modificationes suspicaberis, absque experientiâ.

Nec alio modo de cæteris omnibus agatur.

Quin imo si inflammationis varios ordines varias species, varias que periodos observaveris, quidquid in qualibet inflammatione obscurum fuerit, facile cognosces.

Sic ex eo quod in abdomen et in pectore a membranis serosis inflammatis exhalationes suprà modum auctas cernere est, à phrenitide, quam sub nomine meningitidis, cæteris inflammationibus serosis insignimus, in cranio exhalationem fieri posse satis indicabitur : in serosa testis tunica parvi interest hæc exhalatio, in cranio vero mortem infert. Hanc te veritatem monet nosologista, si sapi utere, sin contra ne forsitan doceat experientia, time;

Plura ne dicam de ejusdem inflammationis varietatibus in eâ-

dem sede cum labe quadam specificâ , aut herpeticâ aut rheumaticâ , aut arthriticâ implicitur. Jamdudum hæ species et varietates expositæ sunt à nosologistis , et crede mihi has si neglexeris cave ne temerè ad hoc inducaris , ut unum ferè morbum admittas. Absurda prorsus et damnosa thesis.

Quod quidem ut mihi videtur sufficit , ad probandum tutius in generum et specierum institutione , morborum diagnosin et indicationes deduci :

Quod ad ultimum indicationum genus jam prædictum attinet , id est à juvantibus et laudentibus dictum , fateor istud extra nosologiam esse positum ; itaque ex eo quòd demonstraverimus , morborum generibus et speciebus notis , causas morborum obscuras , naturam , sedem , symptomata lucidiùs comprehendendi posse et ex eo quòd hæ sint indicationum fontes , conclusio mea est , genera et species morborum indicationibus therapeuticis inservire :

Nunc expositis omnibus meis de subjectâ dissertatione sententiis , cavendum maximè superest , ne adversis disputationibus opugnentur , quidquid igitur videtur mihi objiciendum præpositis argumentis conabor refellere.

Opponent forsàn , apud me semper nosologias pro naturalibus methodis teneri nec tamen ita se res habere , cùm , me fatente , et Cullenius , Sauvagesiana opera , et professor Pinel , Culleniana , perfecerint , cùm Pinel ipse , mutatas toties nosographiæ philosophicæ distributiones , dubias adhuc et tempori nostro male creditas reliquerit ; quod facile refellam argumentum , namque si videas quæcumque sub primo meæ dissertationis initio de naturalibus , artificialibusve ordinationibus dixerim , intelligetur brevi quid de hoc senserin , id est , accuratè distinguenda esse , in nosologiis , quæ uno tantùm signo inter se similia sint , quæ vero plurimis signis et gravissimis .

Sic , quis dubitet quin , apud Sauvagesium , diabetes male colloca-

ta sit inter urinæ incontinentiam , abundantesque humorum fluxus , quos anacarthases ipse vocat ?

Quis dubitet quin doctus ille vir fluxuum considerationem nimis gravem habuerit , ægrotansque homo , apud quem talis doctrina tentaretur , in periculo mortis foret ?

Quod facile intelligendum erit , si reputes ordinem illum , licet memoratu aptissimum , ideòque aliis ordinibus non inferiorem , immerito tamen ita institutum fuisse , quià ex parum gravibus signis depromptum sit ; hunc nempe Sauvagesius , non natura posuit ; idcirco , malè conceptus , non posteà servandus erat .

Quomodo autem benè vel malè fuisse institutas ordinationes agnoscemus ?

Agnoscemus quidèm , cum observationi sedulæ magis incumbentes et omnia symptomata accuratè discernenda , et anatomicas simul læsiones inspiciendas curabimus , quod si , depromptas symptomatum cognitione divisiones anatomica quoque læsionum inspectio comprobaverit has semper credite benè fuisse institutas .

Objicient deniquè nobis adversarii complures esse morbos , quorum non incerta modo sit sedes , ignotæ que læsiones , sed diversæ etiam symptomatum facies appareant ; atquè ità de exanthematibus intermittentibusque febribus habitum esse , quorum propterea malè ordinatæ series esse videantur . Quæquidem vera esse non nego , easdem tamen afferendas esse contendō quas supra jam attuli , responsiones , id est , vanas sæpius quæsitas esse à nosologistis similitudines , quæ non ad certam morborum naturam tenderent ; nec aliâ ratione intermittentes febres collectas fuisse febribus continuis .

Quid autem in hoc rerum discrimine faciendum ? Secernantur ergo isti morbi ab aliis , unumque de illis genus instituatur , cui propria signa semper aderunt , 1.º illatâ sæpius miasmaticâ labo oriri ; 2.º periodicum typum induere ; 3.º ingestō kinæ kinæ

cedere. Sic quoque unum exanthematum fiat genus, cui peculiare aderit signum, postquam per aliquot dies sœvierit febris, erumpere tandem cutaneam quamdam inflammationem, quæ variabiles formas præ se ferat, nec posteà, apud eumdem hominem observetur. Quæ si facies, optimam sanè methodum sequeris; et quando venerit olim tempus quo læsiones anatomicæ, nunc omnino vobis occultæ, jam non medicos latebunt, cognitaque melius morbi natura, deprehendetur, tunc veritati magis accommodatam divisionem institues.

Nunc tacendum mihi de cæteris, tractatâ que materiâ sistendum. Quonam modo, quibusque auxiliis nosologici labores practicis indicationibus inservient, demonstrare conatus sum. Evanuère tandem, quæcumque occurrebant dissertationem ineunti difficultates, dum veritatem libero semper animo disquirerem, nullius que afforet doctrinæ mihi amor aut odium. Quidquid verum esse credebam, dixi; quidquid sentiebam, exposui; nec in adversam tamèn sententiam descendissem libens. Nunc positas supra theses juvabit tueri novis argumentis et defendere; namque aderunt mihi testes, et tanquam commilitones, quicumque per omnes elapsas ætates innotuerunt ingenio viri, nosologicis illustres laboribus. Testes et Sauvagesius et Cullenius, patribus nostris tamdiù celebrati nec immerito nobis etiā laudati; testis Bernardus ille de Jussieu à quo botanice nuper novis veluti fundamentis instaurata est; testis Lavoisier, qui chemicæ scientiæ pater meruit appellari, testis denique clarissimus Pinel, qui tot laborum, tot doctrinarum hærès dignissimus, ære perennius exegit tandem monumentum; quem doctissimi medicinæ Viri magistrum fuisse sibi gloriantur, cui vivo datum est, ut posterum ipse adesset judicio, et nunquam silentium facturas acclamantium voces exaudiret, cujus denique sub auspiciis, ut ita dicam, tractanda fuit, in illâ nostrâ saluberrimâ Facultate, hæc ipsa dissertatio, tanquam supremis mihi laudibus consecrandum commendaretur ejus nomen, neqdūm frigidus cinis!

**Conclusio.**

**Ergo species et genera morborum indicationibus therapeutis inserviunt.**

**FINIS.**